



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Devonii Oratoris Et Philosophi
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

Turner, Robert

Ingolstadii, Anno M. DC. IX.

Robertvs Tvrnervs Gregorio Stobæo Theologo, Ac Reuerendissimo
Archiepiscopo Salisburgensi à Consiliis, &c. S. P. D. Salisbvirgam. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69598)

*inuidere. sed inuidia non est, amor est, qui quod vult
coniungi arctius, eò agrius fert se separari minimo in-
teruallo. satis querelæ. Si nos non possit capere duos
vna domus, capiet sanè vnum cælum. Hoc contendet
concionando; ego pugnabo scribendo. nam quicquid
fremet infernus, volo esse cœlicola, & cum VOGELIO
cœlicola. Vale. ama, ora. Ingolstadij.*

ROBERTVS TURNERVS
GREGORIO STOBÆO THEOLOGO, AC
Reuerendissimo Archiepiscopo Salisbur-
genfi à Consiliis, &c. S. P. D.

SALISBURGAM.

XXV.

DEderas Beruitio ad me literas, amabam tuas,
oderam querelas, quereris me tacere, contra fi-
dem, præter officium. quid hoc mulieris est in tanto
viro? si elicuisses literas amanter, amâssem amorem; si
excitâssem ad scribendum exemplo, exemplum fuisset
persecutus, sed innocentiam meam ream facere vio-
latæ amicitie, proditi officij, habet certè nec amicitie,
nec officij speciem. viden' quid accusem, quantum ac-
cusem? non fero notam, quam aspergis, nam ego, si quis
hominum, colo amicitiam vel magnorum paruam,
vel paruorum magnam. tu id videres, tetigeras Ro-
mæ, quem tuli & præsentem in oculis, & absentem in
medul-

medullis. & adhuc accusas? non accusas, noui candorem; aut si accusas, id est, ut me ames, si non ardentius, certè liquidius in meis literis. scribo ergo me de hoc amore amaturum te, quamdiu suppeditat vita. praterea promitto, nunquam posthac me omissurum occasionem testandi huius amoris, etiam literis, quicquid erit negotiorum. notionem hanc nunc tantum moneo, posthac explicabo fusius. nam tam ero multus in scribendo, quam fui in amando constans: ut si hactenus obiurges silentiū, posthac reprehendas garrulitatem. nihil hīc rei nouæ, nisi me esse antiquum. etiam superioribus diebus adidi nugas, mitto, non ut probes, sed ut videas, & si uoles, ames. nam partus amicorum amici amant, etiam hirsutos & squallidos. de re nulla non venor tuam auram; sed de hoc signo amoris venor tuam gratiam. Vale. meque ama. In-
golstadij.

ROBERTVS TURNERVS
HENRICO DETHICO S.P.D.

LEODIVM.

XXVI.

VENIT ad me ANTONIVS tuus, Deus bone, quanta suauitate, quanta prudentia iuuenis? elucet in ipsius vultu indoles, in sermone ingenium. quanti doloris est aut tanta indolis speciem obsolescere,